

do. ad redempcionem crucis mee duo baltea mea argentea & vnum vas argenteum quod habet tydamannus aurifaber in suthurcopia firmiter deputauj. Ego enim tempore resolucionis mee omnino carens denariis jta quod duas marcas denariorum vix haberem racione exequiarum mearum mutuo recepi quatraginta marcas denariorum de ecclesia lincopensi pro quibus eidem ecclesie curiam meam thorp cum omnibus suis attinenciis inpignerauj donec dicta pecunia sibi solueretur. Item ad soluenda alia debita mea silicet domino nicholao cui suthurcopensi. XIX marchas denariorum. brauido ruffo in skæningia. XX duas marcas denariorum hænikino væscellini VII. marchas. Ecclesie lincopensi. viginti duas marcas denariorum diu receptas. Ecclesie in fornusom tres marchas ospitali skæningie tres marchas Jnguario lobo XVI solidos denariorum. dextrarium meum & palifridum meum vna cum zomario meo deputauj. Quibus enim de iam scriptis in soluendo, precium predictorum eorum se non extenderit & si aliqui inueniuntur quibus in debitis obligatus eram nec ad memoriam duxi uolo quod heredes mei hiis persoluant. & si ipsi non persoluerint eos obligo coram deo omnipotenti in die iudicii responsuros. Ceterum pro panno quo uestiui quosdam pueros meos solui vnum ecum domino nicholao cui suthurcopensi. Huic vero donacioni & Ordinacioni testamenti mei presentes fuerunt. Cristina dilecta vxor mea. Dominus sweningus & dominus býrgerus canonici lincopenses. Magister oddo frater kanutus suthurcopensis nec non & dominus nicholauus sacerdos meus. quorum sigillis & sigillo meo proprio nec non & sigillo capituli lincopensis presentes duxi confirmandas. Siquis autem hanc donacionem meam cassare uel refringere attemptauerit. anathematis ulcione feriat & cum iniquis in die iudicii percipiat porcionem. Datum anno domini. M^o.CC.LXXX tercio feria sexta pentecostes.

På frånsidan med annan, men nära samtida hand: Testamentum siggonis guthormsson jn liuonm sepulti jn monasterio aluastri & iste siggo fuit gener bygeri ducis.

Sigillen: N:o 1 SIGGES; 2 adel., skadadt, 3—5 andeliga, blott stycken qvar.

763.

1283 d. 13 Jun.

Kalmar.

MAGNUS JOHANSSON ENGELS Bref rörande försäljningen af Högnatorp till Bisk. BRYNOLF i Skara, och derföre belöpande köpesumma.

A. 3. z. 1: 6.

Omnibus presentes litteras jnspecturis, Magnus johans sun salutem jn domino sempiternam, Nouerint vniuersi me domino Bryniulpho skarensi episcopo curiam meam jn hognathorp cum agris pratis siluis piscariis & omnibus

mnibus pertinenciis prope & alonge positis, pro viginti marcis puri, vendidisse, Quas mihi jn proximo festo pasche se promisit soluturum, si tamen ad terram sanctam voluero peregrinari, alioquin mihi eadem pecunia jn festo beati olai post proximum pascha est soluenda, & si quod absit me infra terminum prenotatum mori contigerit volo vt de eadem pecunia faciat quicquid jn testamento meo duxero ordinandum Jn cuius Rei testamentum sigillum meum vna cum sigillo ipsius skarensis presentibus sunt appensa, Datum Kalmar- nie anno domini M°CC°LXXX° tercio jn festo trinitatis.

På fransidan: de curia høgñathorp. Sigillet N:o 1 mycket, N:o 2 något skadadt.

764.

1283 d. 24 Jun.

Götala.

Bisk. BRYNOLFS i Skara Bref rörande Otarstad och 80 mark, som PETER BENGTSSON afstod i utbyte emot Skara Domkyrkas gods i Fredini.

A. 3. z. 1: 26.

Omnibus presentes Litteras jnspecturis, B, diujna miseracione skarensis episcopus salutem in domino sempiternam, Quoniam ob labilem hominum memoriam viteque fragilis breuitatem que racionabiliter acta sunt frequenter in dubium reuocantur, & raro proueniunt ad puram noticiam posterorum, Elucescit autem & uiuit accio cuius se facit littera defensorem, Tenore presencium omnibus volumus elucere nos ex parte ecclesie beate virginis skaris mediante consensu & concilio capitulj nostrj cum dilecto famulo nostro Petro benedictj filio fecisse commutationem prediorum. jn hunc modum, Quod recipientes ab eo, dicte ecclesie octoginta marchas denariorum vsualis monete, quas in predia plus vel equaliter ecclesje congrua commutauimus, & duas colonias jn otars staðum cum ceteris pertinencijs, jntra sepes & extra prope & alonge positis jure perpetuo possidendas. Rependimus ipsi predium dicte ecclesie jn freðinj jta quod fundum cum domibus & ceterjs jmmobiljbus pertinencijs, similiter intra sepes & extra prope & alonge positis, jure hereditario ac perpetuo possidendum, Cum igitur sicut premissum est diu uiuere non possit accio que non habet vitam a testimonjo viuacis littere, Placuit nobis dictam commutationem rite & legaliter factam per modum & formam sicut ipsam fecimus mandare litteris ac nostro & capitulj nostrj sigillis stabilire, Ne ipsam processus temporis poterit jnfirmare, aut aliqua calumpnia Posterorum, Datum gøtaljs, anno domini. M°CC°LXXXIII°. Jn die beati iohannis baptiste.

Sigillet N:o 1. Biskopens, skadadt; N:o 2. Dom-Capitlets i grönt vax.